uero eis quę & negocij minus habebant, & te quoq; certum habeo minoris fecisse. Nam quibus ego maluissem, quęq; te magis expectasse scio, prorsus tibi ut responderem, id temporis non uacabat. Scribis suauissime Iacobe, idq́; optas dari tibi facultatem degendę mecum uitę, quo posses, id quod maxime cupis, uelut ductu auspicijsq́; meis studia tua instituere atq; formare. Vellem equidem tantę mihi eruditionis tam magni in literis doctrinisq́; usus conscius essem, ut istud tam iure meritoq; deberes cupere, quā te scio uere id atq; ex animo optare. Hortarer te ut rebus omnibus relictis, quęcunq́; uel utilitatis specie te deuinciunt, uel uoluptatum illecebris blandiuntur, eruditionem studiaq; me duce sequerere. Et incisis omnibus uel abruptis etiam uinculis, quibus alligatus teneris, prona precipitiq; ad optima tenderes uia. Facerem id nō modo tua caussa, cuius maxime & deberem & uellem, sed & mea quoq;, cum sperarē tantum nominis opinionisq; apud multos consequi posse, tantumq; fuisse me plęrisq; persuasum iri, quantum te monitis pręceptioneq; mea factum uiderunt, quantumq; fieri te posse exploratum habeo, & de te ingenij uis, amor studiorum naturęq; tuę fœlicitas mihi promittunt. Nūc cum ad nullam tantam spem mei uocare te possim, quę ullo incommodo rerum tuarum tibi sit redimenda, rebus ipsis pareamus, oportet, utq; optabile nobis esset, si unum aliquem in locum nos fœlicior casus contulisset: sic hoc desyderium nostrum est nobis hac commoda rerū tuarū conditione leniendum, & iucundissima putanda, quę optima sunt. Vt tamen interea pręceptoris apud te munere fungar, & per literas qua datur ostendā, qua ratione tibi putem studia tractanda, paucis & quantum epistolę capit angustia quod optimum, censeo explicabo. In studijs formandis duo pręci=

tiam. Si lucri rõnē itaq; duas habes ex illustrioribus illis ali quā quam sequaris, ut diues fias, dum tamen scias hanc laudem, ut contingit, tibi cum fœneratore fore comunem. Sin re ctius credis, quę honestę sunt, propter se expetere, et quas habet facultates, suffecturas putas modestię tuę, quādoquidē immodestię, & quantumuis paruę, nimię sunt: & quantumuis magnę, non sufficiunt, censeo ut ad philosophiam te conferas, hoc est, enitaris ut recte de rebus omnibus sentias, & q̄ sentis, commode ut possis eloqui. Sentire autem recte duplex est, proinde et duplex conditio rerū, quas inquirimus. Aliæ nanq; res ad actiones moresq; nostros pertinent, quibus omnis ratio uitę, recteq; degendę continetur, quā philosophię pars ea quę moralis uocatur, tradit. Huius prima nobis & pręcipua habenda est ratio, Hęc autem est petenda tibi non modo à philosophis qui literis eam tradidere, ut sunt Aristoteles, Cicero, Seneca, & si qui sunt alij, uel latini, uel latine ita redditi, ut digni sint qui legantur, sed ab historias etiam, & poetis & oratoribus. quoniam ij & benefacta laudando, & quę contra facta sint uituperando, non docent q̄dem, sed quod efficacissimum est, exemplis propositis, q̄ recte secus ue fiant uelut in speculo ostēdunt. Per hęc gradus ad sacras literas faciendus est, & ad illarum pręscriptum dirigendus uitę nobis ordo, saluberimisq; illis duabus de nostra salute credendum. Reliqua omnia aliorum tradita, plus minus ue erroris tamen habent admixtum aliquid. Neque enim contingere potuit eis rectum, & nulla aberrantem parte cursum uitę instituerent, qui quis esset uitę prępositus finis: aut nescirent, aut ueluti per nubem spectantes suspicarentur, dicerentq; constantius quàm crederent. At sacrę literę, tam longe ab omni errore remotę, quàm qui

eas tradidit Deus, hę sunt quę solæ nos certa, solida, rectaq; ducam uia, quęq; omni discussa caligine, sequentē se non falli, non excidere, nō usquā aberrare patiantur. Sunt & alię res, quarum cognitio magis ad ornamentum animi nostri, honestamq; uoluptatem, quę ad necessarium utiq; usum pertineat cuiusmodi est omnis disputatio de natura rerū, multiplex certe uariumq; negocium, & multipliciter quoq; a multis summo ingenio facundiaq; uiris tractatum. quę ut non necessaria sit ad boni uiri mentem formandam, effingendamq;, non parum tamen contulerit, uel eo quod ubi hęc cura perquisitioq; rerum bona fide sibi cuiusq; uendicauerit animū, nullū sordibus uilibusq; curis locum relinquit. Deinde quod docet contemnere, atq; pro nihilo putare ea, ad quorum conspectū uulgus stupet, per quorum possessionem etiam eis qui fœlices putantur, misereatur, quando ostendat quàm uanis omnia futilibusq; constent causis, dicatq; nullam rerum naturę posse perniciem contingere maiorem, quàm si omnes eius uel sordidissimę partes tales fiant, quales nunc sunt aurū, gemmęq;, quibus publicæ humani generis insania summum esse preciū uoluit. Postremo quia quando intelligimus hac monstrāte, fragilis huius caduciq; corporis nostri habitum, omnibus casibus obnoxium, discimus omnem curam nobis ad animā esse trāsferendam, hancq; excolendam, in qua nulla nobis opera frustra aut peritura colatur, quippe in quam quidquid collatum sit, immortale sicut ipsa est, ęternumq; sit mansurum. Transeo multa, neq;.n. epistola esset, sed uoluminis opus oīa complecti, quę in hanc possent sententiam dici, hoc satis est ostendisse quod tute minime ignoras dignam hāc partem esse studiorum, in qua uiri boni mens elaboret. Nec ego aditum tantum primaq; initia harum percipere te uelim, quod nunc uul

go in scholis fieri uidemus, quodq; tu pridem cum magna laude pulchre prolixeque præstitisti, sed res ipsas attingendas cen suerim, iam terrarum, marium, montium fluuiorum situs & naturas, gentiumque in his mores, terminos, conditionem, Imperia uel accepta uel prolata, iam arborum herbarumque uires, quas Theophrastus, iam animantium historiam generationē, partes quas Aristoteles literis mandauit perquirendū. Quid dicam, quæ de re Rustica tractata sunt quidq; de Medicina: alius rem militarem, alius architecturam, alius pingendi fingendique rationem conscripsit. quas artes tametsi non sum nescius, non intra eam partem disciplinarum claudi quæ rerum naturam scrutatur, tamen quia cognatæ sunt illi, & ab eisdē ferè prodeunt fontibus, non est quod nunc in eo magnopere sim solicitus, quando ad eundem ordinem redigendas putē. Hæc ergo omnia quæ dixi, & ad mores nostros, & ad rerum naturam pertinere, ex eis discenda tibi sunt autoribus, qui rebus cognitu dignis, clarissimum eloquentiæ lumen addiderunt, ut una opera & rerū noticia tibi, & quod post eam proximū feci, commode eloquendi ratio contingat. qua quidē de re scis multa à summis uiris tradita esse præcepta, quod tamen ad corruptam institutionem loquendi emendandam pertinet quam pueri in scholis accipimus: huius mihi admonendus uideris, fac suspectum tibi sit quicquid hactenus didicisti dānes oīa, atque abijciendo putes, nisi meliorum auctorum testimonio et uelut decreto rursus in eorum mittaris possessionem, præterea quicquid apud emendatos auctores leges, utilissimum fuerit idipsum quam maxime proprijs & idem significantib. uerbis, reddere uernaculo sermone, hac enim exercitatione assequeris, ut quotiens dicendum tibi aliquid scribendumue fuerit quando concipiendis uerbis apud animum tuum sese quo na=

tura fert uernaculus sermo protulerit, statim quoq; latina uer ba iam pridem illi hoc usu accommodata sequantur. Ad hęc quoq; si quid scribere uoles, optimum erit idipsum quam ple=nissime rectissimeq; patrio sermone intra animum tuum for mare: deinde latinis pure proprieq; id significantibus expli=care, sic fiet ut omnia aperte & q̃maxime plene dicantur, omnes enim si quid in dicendo est uitij, facillime in eo perspi cimus sermone, ad quem sumus nati, & si quid uel dilucide parum, uel breuius q̃ conueniat, uel contracte nimium nec sa=tis cum re proposita cohęrens, dictũ fuerit, in eo sermone ex=peditius annotabit quisq;, quem notissimum habebit. Postre=mo ut hunc locum concludam quidquid eris scripturus, des operam ut quam purissime id recte tantum latineq; inter ini tia eloquaris, ornate dicendi posterior erit cura, quod contin=gere certe nisi sana & integra sit oratio non potest, euenit enim eloquentię quod corpori in quo si non omnia membra sint suo quodq; loco disposita, si sint a recto habitu detorta, si magnitudinis suę modum egressa, frustra illi circundede=ris ornatum, pugnabit enim cum ornamentis suis corpus & illustriorem deformitatem eius decor externus faciet illi com paratus. Sed de hac parte quę tibi studia potissimum sectan da putem hactenus. Reliquum est ut dicam: quo pacto pluri mum in studijs fructus consequuturum te credam, alius ali=ter fortasse ego ita sentio, quisquis in percipiendis doctrinis cupiet dignum aliquem laborũ fructum adipisci illi tria esse pręcipue pręstanda, ut plane recteq; percipiat quod discit, ut fideliter quod percepit contineat, ut ex eo aliquid ipse deinde proferreq; ualeat. Primum diligentis lectionis est opus, secun dum fidę memorię, tertium assiduae exercitatiõis. In lectio=ne id conandum in primis est ut id quod legimus q̃ maxime

fieri poterit intelligamus, & penitus habeamus perspectũ; nec rem tantum quæ traditur, sed & uerborũ in diuersis au= ctoribus uim, proprietatem, structurã, ornatumq; perspicia mus, quis decor, quod pondus sententiarum, quæ uis explican di & res reconditas proferendi uerbis, et uelut in lucem con spectumq; protrahendi. Nec tamen istud eo pertinet, ut si uel per se obscurior uel nobis ignotus occurrerit locus, statim resistendum illic, nec progrediendũ ultra putemus, aut (quod nonnulli) statim proijciamus librum, damnemusq; studia, & ingenium nostrum deploremus: diligentia enim non indigna tione ad profectum est opus: transeundum ergo si quid erit ubi intellectus non possit erui, & in aliud reseruandum tem pus, donec uel homo, uel liber nobis contingat, qui id aperiat, uel alia lectio quod crebrum est doceat: dies enim (q. dicere soleo) diem docet. Quod si Quintilianus inter uirtutes gram matici numerandum putauit aliquã nescire, quanto magis no bis, ut non dicam necessarium, saltem cum uenia erit nonnul la ignorare. Nolim tamen uideri cuiusquam desidiæ patroci nium me his commemorandis parare, nam contra uideor mi hi nulla re alia cuiusquam studium posse uehementius accen= dere, q̃ si ostendam ipsam sibi lectionem aperire uiam, & omnem legendi laborem legendo superari. Proximum est, ut memoria firmiter quod accepit, asseruet. Constat autem me= moria in primis natura, ea tamen adiuuatur arte, quam alij qdẽ aliter tradidere: sed sic tamẽ ut summa rerũ eadẽ fere re deat. Eã artẽ duobus maxime usibus accõmodã arbitror, aut enim subito dicendũ est et maior aliqs rerũ numerus cõmemo randus, in quo piaculũ adeundũ est, ne uel ordine uel numero destituamur, ut quũ legati apud principẽ aut senatũ aliquẽ, uel proponimus petita nostra uel ptis aduersæ cogimur respon=

dere postulatis, tunc certe ob hanc artem commodissime præsidium petetur, aut quando exercere memoriam uolumus, id hac uia facile & q̃ minima molestia facere licebit, quod sane ad memoriam firmandam utilissimum esse et Quintil. auctor est, & rei usus, siquis experiri uolet, expedite docebit, si quod aliud. n. memoria uel maxime est, q̃ creber usus augʒt, qũ á q; incuria negligentiaq; destituit. In ijs uero quę perpetuo aío nostro cupimus hęrere, optimũ contẽderim esse, q̃ intẽtissima cura primũ cõplecti ea, deinde q̃ creberrime ab aío nostro rẽ poscere, et subinde admonẽdo eũ adfidẽ pręstãdã, cogere postremo ut aío uacuo, et quantũ datur ab aliaꝶ curarũ turba ocioso, id agamus, qđ quidẽ in actionibus oĩbus & negocijs, quicquid id est, qđ ulla parte nostri fieri debet, exploratũ est, ut nemo pluribus ęque sufficere possit. Ingenium certe id est, quod ubi intẽderis, ut inquit Salustius, ualet, quod ei in multas deducto curas, contingere minime potest. Tertium est, et quod proposueram postremum, quo pacto ex ijs quę discendo percepimus, ipsi excudere aliquid proferreq; ualeamus, ne ue studia nostra apud animũ segnia, & (ut ita dicam) sterilia reponantur, sed quod semina solent in terra condita, fructum aliquem uberiorem cum fœnore profundant. Amplius copiosiusq; est hic locus, & dignus, qui pluribus diceretur, quemq; ego aliquando exactiori cura mihi puto dicendum, quando hic precipuus esse uidetur lõgi laboris solicitudinisq; in studia collatę fructus, ꝙ si nihil ipsi ad posteros mandare poterimus, nihil extra ea quę dicimus, ad pręsentes proferre, quid tandem inter librũ & nos interrerit? nisi quia liber quidem ea, quę semel in illum congesta sunt, bona fide semp seruat, redditq;, nobis, ut quę accepimus, continere possimus, iteranda sunt toties, & subinde in animum inculcanda. Com-

plectitur sanè locus hic duo, quorum utrunq; per se, quando sit magnum, coniuncta certe plurimum in studijs laudis merentur. Horum alterum est, ut quę didicimus, in usum prom ptu habeamus, & ubicunq; res postulat, parata. Plerosq; enim uideas, qui quando multa didicerint multorum habeant memoriam: ubi proferendum tamen sit aliquid eorum, nihil succurrat eis, nihil queant meminisse, adeo sciunt quidem, sed id ipsum scire se nesciunt. Alterum est, ut ex eis quę accepimus, ipsi pręter hęc inuenire aliqua possimus & conficere, quę nobis asseramus, nostraq; esse queamus affirmare. Duo sunt autem quę pręcipue huic parti profutura crediderim. Horum unum est, ut certa quędam rerum capita habeamus, cuiusmodi sunt uirtus, uitium, uita, mors, doctrina, ineruditio, beniuolentia, odium & reliqua id genus, quorum usus ferè communis ad omnia, & tanquam publicus sit, hęc crebro iteremus, & omnia quę didicimus, quantum fieri potest, certe quęcunque discimus, ad ea redigamus, ut repetendis capitibus illis, ea quoq; quę ad ea redegimus, repetantur. Sic fiet tandem ut omnia quę discimus, certa nobis pręsentiaq; & prope sub conspectu maneant. Poterit autem persępe uel exem plum unum, uel una sententia in multa capita conferri, ut qđ de ui illata Lucretię apud Liuium est primum de pudicitia, quanti scilicet ea facienda sit, cuius damnum Lucretia morte putauit pensandum, post de pulchritudine, quantorum malorũ ea sępe sit caussa, quantum etiã pudicitię ab ea periculi sit, tam de morte, ut ea mala non sit habenda, quam Lucretia im pudicę uitę pretulerit. Hinc de libidine, quas clades, quę bel la ea mouerit, utq; etiam ingentia mala magnorum sępe bonorum prębeant caussam, quando ex eo scelere populo Romano sit libertas quęsita. Sententia itidẽ diuidetur, ut est uir

tus placatis abstinuisse bonis, ad uirtutis caput ducetur, dicit enim, Virtus est placitis bonis abstinuisse, ducetur ad caput boni, non omnia bona expectanda esse quoniam placitis bonis abstinuisse, est uirtus, ducetur ad caput abstinentię, quia abstinuisse plus bonis, est uirtus. Secundum quod huic par ti adiuméto erit, id est ut in ijs quę discimus diligenter pensimusque uerba oīa, conferamus, inter se ex latiori quodā tractu explicemus. Sumamus exépli gratia quod apud Virgilium est, Optima quęque dies miseris mortalibus ęui, Prima fugit. Primū optima inquit, qualia sunt putāda bona humana, quādo optima prima sint, eaque nedū abeant. sed fugiāt, & semper peiorū expectatione torqueant, quæ ēt duriora uideātur, necesse est, ex meliorum quę prçcesserunt comparatione: sequitur dies ęui, id est uita nostra, ea q̄ parui est facienda, si fugax est, et optima protinus initio, uelut id in flore consumit. quę potest autē esse fœlicitas in uita, quādo q fruūtur ea, mortales nedū sed & miseri sint: hinc iam miseris mortalibus quid ni miseri, quorū talia bona sunt talis est uita, qui q; morti obnoxij sunt? postremum est, prima fugit prima ergo nondum usu cognita, nonnulla perfunctione possessa, ut semper quę sequitur, quandouis forte per se bona, tamen melioris collatione dura uideatur. fugit etiam; non dimittitur: non abire iubetur, quàm fallax ergo, quàm in certa. quàm nequaquam nostri iuris aut arbitrij est. Quod si quis latius ista & per omnes locos dialecticos fuderit, quatenus cuiusq; natura capax eorum est, Ingens utique copia, & ad dicendum & ad inuemēdum se prçbebit, quod quomodo sciendum sit, maius est q̄ ut epistola id capiat, & copiose est à me ea de re in sex libris eis, quos de inuentione dialectica scripsi disputatū. quisquis ergo prius id recte et cū cura tractauerit, prçsertim

ſertim ſi rationem dialecticæ inuentionis illi adiunxerit, Ingens illi paratiſſimaq; de omni ferè propoſita re diſſerēdi facultas continget. modo ea res illa ex parte ad eas pertineat quas didicit artes. Hocq; pacto ueteres illos profeſſores artiũ, quos græci Sophiſtas, id eſt doctores uocabant, exercuiſſe deprehendo, quantum ex Ariſtotele, & Platone conijcere licet, atq; ad eam eruditionē promptitudinemq; dicendi peruenerunt, ut de qua re audire quis uellet proponi iuberent, dicerentq;, q̃diu, quãtumq; uideretur de eo, qđ eſſet propoſitum. Sic Gorgias Leontinus primus tam audacis cœpti auctor, ſic Prodicus chius, ſic Protagoras abderites, atq; Hippias eleus & inſtituti, & alios docuere. At id quod ſecundum feci, multum iudicij parabit in ijs, quæ diſcuntur, & nouas argumentationes, nouasq; ſententias, aut ueteres, ſed quibus noua facies ſit inueniet, eſtq; eiuſmodi, ut ſi ſtylus ei addatur, ſtatim exercere eloquentiã poſſit, & ad bene dicendum aditum parare. Sed hæc hactenus, ut pro rerum conditione pauca, ut pro modo epiſtolæ nimis multa, ut enim Demetrio phalerio uiſum eſt in libro quem perihermenias, id eſt de explicatione ſcripſit, epiſtola, quæ grandior facta eſt, non tam epiſtola dici debet, q̃ liber cuius initio ſit ſalus aſſcripta. Verũ id utcunq; æſtimari poterit, haud ponã equidē in magno diſcrimine, mihi ſtatutũ eſt aliquo modo quocunq; poſſum, ſtudia tua iuuare, qđ ipſum ſi nõ potero, oſtēdere tamen ut me uoluiſſe intelligas, qđ uoluiſſe ut in multis quæ effectũ exigunt parũ eſt, ita in amicitia cui pro effectu eſt animus, tale eſt: ut nihil plus exigi, nihil maius præſtari poſſit. Veni Heidelbergam (ut de meis etiam rebus certiorem te faciam) poſtridie Kalendas Maij, excepit me Epiſcopus dominus meus benigniter, & omnibus humanitatis beneuolentiæq; officijs

Periermeneia ſ[illegible] fication

cumulatissime prosequitur. Vide ineptiam meā queso, uel ut uerius dicam stultitiam, constitui discere hebraice, tanquam non satis temporis & operę in pauculis ijs gręcis quas scio, mihi perierit, Consequutus sum pręceptorē quendā intra paucos annos ad fidem nostram conuersum, cui Hebręi etiam in omni laude eruditionis disciplinarūq; suarum primas deferebāt, & quem pręcipue solebant doctoribus nostris opponere, si quando ad disputationē de fide uocarentur: hunc episcopus mea causa domi suę alendum suscepit, experiar quantum potero, spero fore, ut aliquid efficiam: & forte uel ob id ipsum efficiam aliquid, ꝙ spero Iohānes Rincus narrauit mihi acerbiorem casum tuū, quē pertulisti ea parte qua minime uoluisses scio, dolui nescio an uicem tuam, an illius improbitatē, dolui tamen: & elegis aptissimo talibus querelis carmine dolorē tuū prosequutus essem, si modo tam quietus animo cōpletusq; fuissem: potuissem ad scribendū aliquid coegisse manus aut mentem. Oro remitte ad me aliquid ex ijs quæ ad canendum composuisti, sed quod accuratum sit, & cum laude ostēdi uelis: habemus & hic cantores, apud quos crebram mentionem tui facio, eorum magister. ix. xii. etiā uocibus canendos, modulos componit, sed nihil suorū audiui, qđ tribus aut quattuor uocibus caneretur, quod magnopere placeret mihi nec ego tamen animum meū iudicij loco pono, potest enim fieri, ut meliora sint. q̄ ego possim intelligere. Vale & me amantissimum tibi persuade. Saluere iubeas meo nomine ornatissimum doctissimumq; uirū Magistrum Ambrosium Dincer, Nicolaum item Hagum nostrum, humanissimum uirum Magistrum Iacobum Crabbe uicinum tuum. In primis uero toto animo deditissimum tibi Ioannem rincum suauissimū adolescentem meis uerbis saluta. Versiculos quos ad te misi po=

stea recognoui, deprehēdiq; in Anna matre tres aut quattuor mendas, quod uitio impressorum permutatę sunt literę, eas castigaui, dediq; ea gratia hūc ad te codicem, ut & huius quod apud te est emendes, hunc autem cum literis da operam, ut reddantur Adam Iordano canonico regulari ad sanctū Martinum Louanij. Iterum optatissime uale. Datę Heidelbergę. VII. Idus Iunij Anno. LXXXIIII. diligenter me & loquacissime fac de omnibus rebus tuis certiorem per hunc ipsum qui has tibi reddet.

LVCIANI SAMOSATENSIS SOphistę Oratio, latine reddita, à [redacted]

Calumnię non esse temere credendum.

PErniciosa res ignorantia est, & uarijs modis noxia mortalibus non solū cōmuni hominum uitę tenebras quasdam offundere ac ueri cognitionē obliterare solita, sed priuatas quoq; singulorū rationes miscens ac perturbans. Quo fit, ut perinde atq; qui in tenebris errant, immo haud aliter q̄ cæci, iam huc, iam illuc impingamus. Quod haud procul nobis & ante pedes est situm, non uidemus. Formido est his capi, à quibus etiam q̄ longiss. absumus. Deniq; in rebus humanis nihil tam fauste fœliciterq; agitur, quod non error aliqs interpollet. Hinc sunt innumerę illę tragicę clades, fata Labdacidarū ac Pelopidū, alię item aliorū calamitates, ferè enim qdqd malorū scęnę ac pulpita clamant, ab ignorantia ceu tragico deo compositum proficiscitur. Illa uero cū alias potest plurimū, tum noxia est īmodice, siquādo in Calūnias familiares, et mutua īter se amicorū

crimina inadit. quibus solent & intestinis dissidijs res domesticę, & odijs ciuilibus urbes funditus euerti. In natos sęuire parentes, natu parentibus insidiari, frater fratri, amans amanti, amicus item ab amico diuelli. Turbari demũ omnia calumnię uafricia. Itaq;, quo pacto caueri facile possit, et qualis nam sit Calumnia, unde originem trahat, quantũ ferè efficiat, hac oratione, uelut in tabella depingam. Porro quam eius imaginem subijciam, Apelli Ephesio pictori acceptã refero dicatam, quom is apud Ptolomęum regem cõiurationis, quę in Tyro auctore Theodora, facta est, insimulatus esset, quanq̃ neq; Tyrum uiderat unquam, neq; Theodoram nouerat, nisi quantum fama accepit, eum Ptolomęi prefectũ Phœnicem administrare. Verum Antiphilus quidam artis gratięq́; Apelleę ęmulus, illum apud regem coniurationis Tyrię reum fecit, cum Theodora principe factionis uisum familiariter congredi, conuiuari secreto item & in auriculam inter conuiuandum colloqui. Paulo post & defecisse Tyrũ, et Pelusium Apellis consilio occupatum esse. Tũ Ptolomęus pręter modum, cum & alias non satis animi compos esset, assentatione insuper tyrannica fractus, adeo excanduit, adeo admiratione calumnię percitus est, ut coniecturis q̃ caussę fidẽ, aut facerẽt, aut minuerent, neglectis, non aĩaduerterit Calũniatorẽ Apelleę artis ęmulũ esse, dein fortuna minori Apellem, quam ut Pelusium prodere posset: hunc item beneficijs regijs plus cęteris pictoribus auctum. Neq; interim percontatus, num aliquando ille in Tyrios nauigasset. quin statim plectendus uidebatur. Regiam tumultu insolito Rex perturbat, Apellen perfidum, ĩgratum, reum uiolatę maiestatis, insidiatorem, coniuratum, clamat. Ac nisi quispiam è socijs coniurationis, qui capti tenebãtur, & audax Antiphili scelus sto

machatus, & infœlicis Apellis misertus, nihil ei cõmune cũ seditiosis fuisse probasset, dubio procul Tyriorum maloꝝ pœnam capite multatus soluisset, etiamsi nihil sibi male cõscius. Ptolomęus igitur collecto animo sententiam mutauit, Apellen donauit talentis centum, addito in seruitutem Antiphilo calumniatore. Apelles contra periculi memor tali est imagine calumniam ultus. Ad dextram considet quispiã auribus prę longis insignis, quales ferè illę Midę feruntur. Manum porrigit procul accedenti Calumnię. Circunstant eum mulierculę duæ, ignorantia, ni fallor, ac suspicio. Adit aliũde propera calumnia eximie compta, uultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore prę se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adulescentem capillis pręhensum, manus ad superos tendentem, obtestantéq; immortaliũ Deorum fidem, rapit. Ante it uir pallidus, in speciem impurus, acie oculoꝝ minime hebeti, cęterum planè ijs similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facile conijcias liuorem esse. quin et mulierculę aliquot Calumniam sequuntur comites: quarum est munus, dominam hortari, instruere, comere, interpres picturę aiebat insidias ac fallaciam esse. A tergo, lugubri habitu pullata laceraq; pœnitentia subsequitur, q̃ capite in tergum deflexo, cũ lacrumis ac pudore procul uenientem ueritatem excipit. Hac Apelles tabula casus suos lusit Iam & nos, si uidetur, Ephesij pictoris exemplo, recenseamus Calumnię rationes. Principio nobis effigenda est, & explicanda finitione quadam, quę uice eiconis fuerit. Est enim calumnia, delatio ementita odio, clangulum reo calumniatori credita, delato ad respondendũ ac refellendum non admisso. quę definitio personis, perinde atq; comicũ argumentum, tribus constat, delatore, delato, &

auditore calũnię. Singulorũ partibus defungemur hãc actu=
ri fabulam. omniũ, si lubet, primum producamus in medium,
actus principẽ, & quasi prępulsorem, autorem calumnię. Is
quidẽ quàm minime bonus uir sit, ignorat nemo. Neq; enim
quisquã uir bonus amico damnũ dare caussatur. Nam boni
uiri est hominũ sibi animos conaliare studio bene merẽdi de
amicis, neutiquã inimicis criminandis. Vnde haud incommo
de colliges iniustum, sceleratum, impium, In summa, incredi
bili rebus cõibus calumniatorẽ esse. Nã quis est, cui non ui=
detur in uniuersum iustitię pensum ęqualitas, & quod aiũt,
NE QVID NIMIS? Inęqualitas, & quod nimiũ est, iniu
stitię. Qui uero clanculũ absentẽ insectatur, ęqualitatis me
tas egreditur. quippe, auditorẽ sibi totum adserit, aures eius
anteuortit, obstruit, & inuias responsuro, calumnijs refertas,
efficit. Ea sane extrema est iniuria uel optimorũ legumlato=
rum iudicio Solonis & Draconis qui iureiurando Senatum
Athenien. adstrinxere; ut pari benignitate gratiaq; tam reũ
q̃ actorem iudex audiat, dum alterius caussam honestiorem
intelligat, Scelestum & crudele iudicium esse, si quid statua
tur antea q̃ cum accusatione comparata sit defensio. Ad hęc,
sibi male propicios deos reddunt iudices isti, qui cum accusan
ti aures libere indulserint, reo denegant, aut pręstigijs capti
delatorijs, mussitantes condemnant. Tantũ à iusto, ęquo, bo=
no, legibus, & iureiurando. Senatus bene constitutę ciuitatis
calumnia discrepat. Iã, si cui dubię fidei legum conditores ui
dentur, quorum decreta commonent, iustitia, non studio par
tium iudicare, is longe optimi poetę impendio scitam senten=
tiam immo uero legem sacro sanctam audiat.

Nec nisi librato dirimat sen tentia litem.
Parte quid ex utraq; queat, examine caussa.

Nimirũ, uates intelligebat, ex oĩbus nullam esse neq̃; grauiorem neq; audaciorem iniuriam, q̃ indicta caussa quẽquã mortalium damnare. Id uero ex omni parte Calumniator molitur, uti cum furore ac uęcordia hominis corã quo res agitur, indefensum reũ cõmittat, defensurum partes suas clancularia sectione arceat. Adeo enim hoc hominũ genus obnoxium est formidini, adeo nihil audet palã, sed pinde atq; qui ex insidijs transuersi hostẽ inuadunt ex abdito alicũde specu iaculatur, ut non sit q contra uel mittere telũ, uel manu contendere possit, hostisq; ignarus aduersarij, fraudisq; inscius pereat. Quod profecto minime fallax indiciũ est, in calumnia nihil inesse ueri, nihil sani prorsum. Nam q accusaturus quẽpiã, sibi conscius est ueri. Procul dubio, & palàm audet aduersariũ incessere, corrigere, purgãtẽ crimen ferre. Vt in bello, q iusta acie uincere hostẽ palã potest, turpe ducit, astu & insidijs certare. At hoc genus hoĩes in aulis regijs spectare pluri mos datur, optimatũ fauorem hisce artibus ambiẽtẽs, ubi scilicet & inuidia crebra, & uarie suspitiones, & assentãdi criminandiq; occasio multiplex in promptu est. Siquidẽ ibi quo pluribus plura spes ostentat, eo necesse est maiore inuidia, seuerioribus odijs, æmulatiõe callidiore certari. Illic uideas licet, quã acres alter in alterũ oculos defigat, qua cura obseruet, ue luti singulari certamine congressus si quid uspiã in alterius corpore forte fortuna nudũ, aut male munitũ conspiciat, quod ferire fœliciter possit. Ita studio cuiq; est, cum ipse primus eẽ cupit, uti proximũ deijciat, exturbet, conuellat, proculcet. Hic si quis est uir frugi, temere euertitur, illuditur, deniq; ignominiose exterminatur. Cõtra qui adsentandi paulo peritior est, & habiliore ad mentiendum ingenio, probatur, superat. Sanè omnino iuxta Homeri carmen est huius certaminis alea.

Vndiq; communi sequitur Marte, pariq;.
Victusq; uictorq; cadunt fato.

Alium subinde alius, alia uia aggreditur, ut ferè fieri solet, sicubi de magnis agitur commodis. sed per calumnias iter est ut compendiariū, ita minime securum. Principia inuidię debēt inter spē q; metum q; fluctuanti. Exitus nihil nō miserabile, tragicum, calamitosum habet. Cęterum Quadruplatoris ipsum quoq; studium nequaq̄ facile est, simplex ue, quāq̄ ita fortasse uideatur, sed arte multiplici, solertia peculiari, indefessa deniq; et accurata diligentia opus habet. Neq; enim noxia fuerit Calumnia nisi in speciem similia uero narret, neq; temere cunctarum alioqui rerū DOMINAM VERITATEM *superauerit, nisi auditorem argumentosa & probabili actione, in summa, mille modis fallat. Porro defertur is plęrumq; qui honore quodam alios pręstat. nempe is inuidiosus, qui spe illius frustrati sunt. Quo fit ut omnium telis affectetur ceu obex, qui uiā assequēdę dignitatis alijs intercluserit. Seq; primos tum singuli fore confidunt, si sublimem istū loco demoliti sint, & ab amicis abalienarint. Tale quiddā in gymnico cursu fieri consueuit, ubi, si quis est cursor ingenuus, statim ruptis carceribus primas affectans, & animum ad stadij metas adijciens, spe uictorię è robore suo cōcepta, ne q; sequenti incommodat, neq; omnino laboris huiusce socijs quidq̄ struit remorę. Contra, qui malitiosus, imbellis, eneruis contendit cursu cum alijs, desperatis uiribus in fraudē intentus agitur, atq; in uniuersum hoc unicum spectat, qua currentem occupet, impediat, ac intercludat, et ni succedat astus, nō est, ut ullo alio modo uincere possit. Haud aliter in ambiēdis magnatū amicitijs accidit, ubi si quis fœliciter anteuortit, in medias continuo labitur insidias, & incautus ab ęmulis captus*

discerpit. Hi deinde amari, coli, amici uideri incipiũt, uel ob id unũ, quod bonis incommodarint. Iam uti probabilẽ et dignã fide calumniam faciant, nõ quod fortuito casus ostendit, prehensant, sed in hoc toti sunt, ut accurato delectu obseruent, ne quid obsonum, aut alienum, à causę fide incidat. Adeo rationes eius quẽ criminantur uniuersas, in peiorẽ partem trahunt, suspectas reddunt, quo fidẽ addãt accusationi. Medicum insimulãt ueneficij. Magnificũ ciuem affectatę tyrannidis, tyrannũ proditionis. Interdum auditoris affectus, sua calũnijs discrimina suppeditat, cum quo si ueteratores isti et nugiuẽdi suas techinas comparent, apte illuditur. Quod si auditorem Zelotypum norint, annuit, inquiunt, ille uxori tuę inter epulas & defixis in eã oculis alto suspiria pectore duxit, uxor uicissim suaue quiddã & amatoriũ, alia item quę ad suspitionẽ adulterij faciunt. Sin poeticę studiosus, ea sibi arte pręter modũ placeat, Philoxeno, aiunt, carmen tuũ non probatur, hiulcum lege solutum censetur: ad religiosum, en ille de pietate, deque Dijs male sentit, sacra detestatur, prouidentiam uniuersi gubernatricem pernegat. Tum auditor ceu oestro in auriculam immisso, excandescit, ut pro re conijcere licet, amicũ ab se impos animi re ipsa nondum contẽta cognita, missum faciat. Talia ferè sunt, quę ab impuris istis confinguntur, uidelicet ad irritandos audientium animos, maxime accomoda. Tũ, qua parte singuli pręstant, eam potissimum iaculis suis obnoxiã ij faciunt, ne quid auditor subita interturbatus ira, uero cognoscẽdo collocet ociũ, deinde sese purgaturo nõ fiat hominis copia, quẽ criminis admiratio speciesque ueri occuparũt. Etenim dici nõ potest, quã instructa sit, quantũque ualeat calũnię facies, si quãdo cũ cupiditatibus auditoris confligatur. Quondam apud Ptolomęũ, cui Dionysio cognomen fuit quispiã Deme-

trium Platonicũ accuſauerat, ꝙ in Bacchanalibus aquã bibe ret, ſolusq; omniũ muliebribus nõ ueſtiret, de quo, niſi accerſitus ad regem mane palã uino libaſſet, & inſtita muliebri amictus, ad numeros Dithyrãbicos, Cymbalorũq; modos ſaliiſſet, plane actũ erat ꝙ & regium exemplũ non eſſet imitatus, & aſpernaretur Dionyſiorũ molliciem. Apud Alexandrum grauiſſimi criminis reus fiebat, qui colere & adorare Hepheſtiona nollet, nam poſtea ꝗ is è uiuis exceſſit, amore uictus Alexander effuſo animo ad reliquã funeris magnificentiã additum uoluit, ut mortuus inter deos Hepheſtion haberetur. Continuo ei templa ciuitates plærę q; dicarunt, delubra condiderunt, aras, ſacra ferias NOVO DEO ſanxerunt. Ius iurandũ oĩum religioſiſſimũ Hepheſtionis nomine fuit. Capitale erat, ſi quis hac parte uel contaretur, uel neglectim coleret. Hic euiratus affectus hęc ueſania, fuit aſſentatoribus occaſioni, accendendi, inflammandiq; regis. Narrabantur inſomnia, uiſę Hepheſtionis umbræ prędicabantur illius reſponſa. Deniq; arę & ſacra dicata ſunt FAMILIARI & malorũ VINDICI deo. Proinde, cum his Alexander initio mire oblectaret, tandẽ ita captus eſt, ut fidẽ quoq; adhiberet. gloriareturq;, ꝙ non mõ Diis genitus eſſet, ſed deos quoq; ipſe faceret. Quo tempore, quantũ putamus amicorũ Alexandri afflixit Hepheſtionis diuinitas. Si quibus nõ uideretur cõmune numen uenerari, accuſabantur deportabantur, gratia regia excidebãt. Tũ Agatocles Samios, q primos aliquãdiu ordines apud Alexandrũ duxerat magis itẽ ab rege honoribus auctus, parũ abfuit, qn cũ Leonibus cõmitteret. criminatus, ꝙ illacrumaſſet prętęriens Hepheſtiõis ſepulchrũ. Verũ Perdicca hominem ſeruauit, deos omneis, ipſumq; Hepheſtiona iuratus, eũ ſibi in uenatiõe anguſta ſpecie, Deũ

clare uisum, mādasse, ut Alexādro diceret, parcendū eē Agathocli, q nō hoc lacrimasset, q aut uana sibi Hephestiōis diuinitas uideretur, aut mortē miseratus esset comunē, sed pristinę consuetudinis, & mutui amoris memoria pmotū esse. Sic igitur affecto Alexādro, locus adsentationi & calumnię aptissimus fuit. Nā pinde atq; oppugnaturi urbes, nō qua probe munitę sunt alto, pręcipiti, ac solido mœniū ope, hostes inuadunt: sed ubi sentiūt quā minime defendi, muniri, muros ac cessu faciles, collapsos, hac oībus uiribus, certatim contēdūt, qua citra difficultatē irruere, ac potiri rebus queāt. Ita q criminādis alijs desudāt qđ in auditoris aīo languidū, fragile, facile subactu uident, in eam partē traducūt, coguntq; machinas suas. Demū quādo insultus hostiles nemo persentit, nedū nō obnititur, expugnant. Iā intra muros cuncta igni ferroq; deuastant, excidūt: populant. Qualia uero simile est capto, et in seruitutem redacto aīo fieri. Arma sunt istis aduersum absentem, fallacia, mendaciū, piuriū, suppliciū, impudentia. Denīq; innumerę imposturę ac malitiosę cautiones. Omniū maxime pręsens, & longe efficacissima assentatio, Caluminię cognata, immo soror. Quippe nemo hominum tam generōso est pectore, etiam adamātino septus muro, qui cum calūnię concedat, nō idem assentatione uincatur. Hęc foris recti iudicij ceu fundamēta suffodit ac subruit. Intus coniurati cum hostibus proditores, irruentes adiuuant, manus porrigūt, portas aperiunt, & modis omnibus conniuntur, ut auscultatorem calumnia sibi seruum faciat. Sunt autem proditores, de quibus dico, Nouandi cupido, natura humanis ingenijs conscita, pręsentiū item fastidium, sequax eorum animus quorum admiratione capitur. Nescio enim qui fiat, ut omnes amore sui immodico admiratio furtim rapiat, & suspitio=

ribus illectet. Quosdam equidē comperi studio calūniæ adeo suauiter titillari auriculas, ut si pennis confrices. Proinde ta libus adiuti socijs, calūniatores cum irruerint, cuncta pro uiribus euertunt, nec magno emitur uictoria, ubi nemo repugnat, nemo uim tormentorum sustinet, aut iaculis iacula mutat, sed qui auscultat, ipse sese sponte sua in manus hostium dedit. Interim ignarus insidiarū est qui accusatur. Nā haud aliter qui deferūtur, atq; qui captis urbibus pereunt, dormientes trucidantur. Et quod est in primis miserabile, nescius se reum haberi, neq; causā sibi sceleris conscius, amico candide congreditur, familiariter compellat, facitq; pro more, iam ante undiq; circunuētus insidijs miser. Tum ille, si homo ingenuus est, & liber, confidensq;, frangit iram, & effundit animum, defensionem recipit, agnoscitq; se frustra aduersus amicum exacerbatum fuisse. Sin autem est indole seruili, et male mascula, adit quidem, & summis arridet labris, uerum odit, & clanculum dentibus frendit: ac, ut inquit Poeta, Exstruit iræ fundamenta. Quo ego homine profecto, nihil iniustius, nihil tetrius existimo, qui admorso labro bilem intus alit, odiumq; intra se conceptum auget, aliud in pectore clausum, aliud in lingua exprompum habet, agitq; læta & comica facie, tragœdiam meram, & nihil non triste patientem. Id ille maxime patitur quom simili delator uęcordia apud eum cui parat insidias, odium mussando dissimulauit, effecitq;, ut amicus ei uideretur. Tum enim ne uox quidē delati, nedum non defensio audiri solet. Tantum fidei calumniæ facit, concepta de illorum amicitia opinio. Hic quanto satius erat perpēdere inter amicissimos nō raro clam alijs graueis simultatum causas intercedere. Sępenumero item, quorū sese reum calūniator fieri metuit, socium insimulat: ut quom anteuorterit accu

sando, suspitione culpę ac crimine elabatur. Atq; ideo ferè fit, ut quibus nos putent amicos tantum, inimicos nunquã calumniemur. Nam actioni quæ ipsa sese prę se ferens actoris odiũ, prodit, fidei nihil esse potest. Verũ quos uulgo amicos ęstimant, aggredimur, ceu auscultatori specimen fidei no strę daturi, ubi sua ipsius causa, cõmoda, salutemq; familiariũ amicorũ, neglexisse uidemur. Est et genus aliorũ, quibus tametsi cõperitur falso criminatum apud se amicũ, tamen cũ credidisse pudet, neq; aspicere illũ, neq; in gratiã redire audent. Perinde ac ipsi iniuria sint affecti, q; alienã iniuriã non prospexerint. Proinde, multa sunt humanę uitę mala, ex eo q; promiscue ac sine discrimine calumnijs creditur. quale est qđ apud Poetam ait Antia, Bellerophontẽ occide, aut Proete peribis Qui mihi conatus pręsigne auferre pudoris Fœminei decus. Cum ipsa prior adulescentẽ ad concubitũ sollicitasset, contempta in hoc periculũ ĩduxit, ut cum Chimęra pugna congresso, parum abfuerit, quin uictrice bestia occumberet. Tãta pœna luenda fuit castitas, pudorq; iuuenilis, quem hospiti coniunx adultera suspectum fecerat. Simile quiddã Phędra priuignũ calũniata, effecit ut filij caput pater Theseus execratum belluis marinis deuoueret. quanq̃ o superi, nihil prorsum deliquisset. At inquiet quispiã an non dignus est fide nonnunq̃ uir, cęterũ bonis moribus & recto ciuiliq; iudicio prędiτus, qui alterũ accusat? non licet tali auscultemus, modo reliquis sibi malis artibus temperarit? Age inquam, est ne alius Aristide iustior, ille tamen aduersatus Themistocli, contra eum Populi aĩos exacuit, inuidia glorię popularis, ut aiunt, uellicatus. Alias uir bonus Aristides, uerũ homo erat, nec felle caruit, solebatq; amare alios. alios odisse. Iam si uerum est, qđ de Palamede ferunt. Sapiẽtissimus quidã Achi=

uorũ, ac ad res alias gerendas accõmodus, inuidia flagrans, insidias parasse fertur, cognato, amico, ad hęc eiusdem belli socio. Adeo naturę hominũ familiare est, hoc errore labi. Porro, quorsum attinebat et Socraten recensere, insimulatũ apud populũ Athenien. seditionis & impietatis? Quid Themistoclem aut Miltiadem tot partis uictorijs, suspitione proditionis notatos? Sunt enim exempla innumera, & uulgo iam plęraq; non ignota. quid igitur faciet uir prudens in re ambigua? sanè opinor, quod Homerus in Syrenum fabula docet, perniciosas talium sermonum delitias nauigio pręterreat, obduret aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxijs, sed ianitore sedulo ac fido adhibito, ratione uidelicet ac iudicio animi, recta dicentes reclusis foribus excipiat, inutiles nugas obdito pessulo arceat. Nempe ridiculum fuerit, datum ędibus ianitorem, officio non defungi, aures mentẽ q; uulgo patere. Postea q̃ ergo tale q̃ddam calumniarum audieris, tute apud animũ tuũ rem ipsam perpende, nihil attinet qualis sit qui accusat, nihil ad rem faciunt alieni mores, nihil accusationis acrimonia. Quin, eo maiore cura rem discute, quo instructior uenit delator. Neq; item credere conuenit iudicio et existimationi alterius, immo accusantis odio, sed suum utri examen apud nos accurate seruandum est, suę item calumniatoris inuidentię partes dandę. Deniq; quod utrinq; argumenta suaserint, statuẽdum. Tum uel odisse uel amare quẽ diligenter explorauimus, licet. priusq̃ id factũ sit, calumnię concedere in primo statim congressu, hercle nimis q̃ puerile est, ac indignũ uiro, longe q; à iustitia semotum. At uero horum omniũ causa, una est ignorantia, tenebræ q; illę, quibus suę cuiusq; hoĩs rationes mores q; obuoluuntur. Iam si deorũ quispiã uitę nostrę lumen afferat, futurũ est, ut euanescat ca

lũnia, fugiatq; in altũ Barathrũ, nec usq̃ in humanis locũ inueniat, reddita nobis luce oĩum uitę studiorum, ueritatis beneficio.

PHIL. MEL. Bernardo Mauro S.

PLutarchi conuiualem quęstiunculam, qua sacras aliquot Pythagorę notas, seu ἱερογλύφα interpretatur latio, ut cunq; uindicaui. Plane αὐτοσχέδιον προοίμιον quo alijs q̃ frequens in manibus habeo, pręluderẽ. Eam tibi Bernarde elegantiss. dicare uisum est, et illi quo iã tyro exercerís declamandi aptã generi, siue gręce, siue latine uoles, et obeundę adulescentię tuę necessariã. παραίνεσιν. quid.n. tã pręstes oportet, q̃ τὸ τοῖς ἀγαθοῖς καλῶς ξυνομιλεῖν, ut Platonis utar uerbis, hoc est, ne qua uspiam Hirundinum trahare consuetudine. Mihi crede, nihil est ualidius ad fingendos mores, ad formandam eruditionem, honesto bonorum commercio. Meministi quos ad Dionysium uersiculos Theognidis scripsit Diogenes, omnĩ uulgatos, ut inquit. Gręce ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι ἢν κακοῖσι συμμιγῆς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. Vale.

EX OCTAVO CONVIVALIVM quęstionum libro Plutarchi.

De Nota Pythagorica, qua hospitem Hirũdinem recipi nolebant, Philippo Melanchthone Interprete.

SYlla Carthaginensis aliquanto post tẽpore, quom Romam uenirem, liberaliter me, salutatorijs ut uocant, epulis excepit. quibus amicos, cum plerosq; alios, tum maxime Leuciũ quendã Tyrrhenũ moderati Pytha=

gorici discipulū adcerserat. Is cum forte fortuna Philinū nostrum animatis agnosset abstinere, quod pro ordinis studio conijcere licet, in Pythagorae mentionem prorupit. Inter caetera LOCRENSEM illum, iuxta uulgi opinionē, esse negauit. Tyrrhenis adseruit, apud hos enatum, alitum eruditūq́, indicio Symbola esse, qualia ferme sunt.

Cum lecto exurrexeris, stragula turbato.

Ollę uestigium in cinere, confundito.

Sarum ne transilito.

Hirundinem in contubernio ne habeto.

Aduncis unguibus domine nutrito.

Isthęc ait cum Pythagorici passim & scribāt & doceāt, soli tamen re ipsa Tyrrheni obseruant, assiduo iā olim ac iugi sancita studio. Hisce ab leucio dictis primis qđ de hirundine uberius disputarat uidebatur absurdum. Auiculam innoxiam, dein & humanę societatis non expertem, cum eximijs illis seuicia, sanguinisq́ libidine, animantibus quibus adunci sunt ungues cōferri. Neq́ enim recte Leucio probabātur, qui scitum hoc symbolum alio referebant, in consuetudinem uidelicet uitilitigatoris cuiuspiam, criminibus, infestiuo murmure, conuictorē exagitantis. Is enim uel picis, uel perdicib. uel gallis commodius notari poterat, auibus multo maxime garrulis. Quando & hirundini cum hoc garriēdi stridendiq́ perpetuo morbo nihil est cōmune. Tū Sylla Carthaginensis, id essē commenti. Ablegari ab domo familiariq́ conuictu Hirundinē prodigij caussa, quod uitę sanguiniq́ cognato ferale habent. Terei familiā ferūt, partim fuga sibi cōsuluisse, partim horrenda quędā & nepharia passam, iā nūc quoq́ Daulidum nomine celebrari. Gorgias Sophista contra eminus ad se properantem conuitius Hirundinem, Nec admodum

modum ait, hęc quoq; bella, Age num id prodigij non est stri dulę illi luscinię commune. quam eidem obnoxiam tragœdię domo non reijciunt. Recte, inquam ego, & hęc ad rē facie- bant Sylla. Verum qua ratione, quę aduncas sunt unguibus non admittātur, primum specta, dein ut eadem habeatur omi nosa Hirundo. Carnem depasci solet, uenaturq; sacras illas Musis, canoras cicadas. Humi uolitans oberrat, exiguas ca- ptat bestiolas, auctore Aristotele. Insuper una nobiscū uer sari solita, immunis nostro tecto utitur, neq; quidquam parit cōmodi. Quom cōtra ciconia, neq; tegulis tuta nostris, neq; usquiam aut facultatibus, aut studio adiuta, officio tamē sese, ceu mercede comunis impensę in terram collato redimat. Nā quę uitę hominum aduersa animantia insidiantur, serpentes, bufones, absumit enecatq;. Hirūdo uero nostra tantisper abu sa ope, pullo edito ac educto auolat ingrata, deinde & in re cessus quosdam desertos, ignorabilis. Iam quod grauissimum uidetur, animantium duo sunt omniū quę nostro utuntur ho spicio, Musca & Hirundo. Quę nulla queunt arte cicurari, neq; ullo nobiscum officio aut ductu comunicant. Musca ne molesti quidq; patiatur prebēsari horret, Hirundo suopte in- genio exosa hominem adeo diffidit, ut & mansuefieri non possit, & nihil non suspectum pauitet. quę siquidem nō ad- curate nimiū, nec quasi ad regulā dispensa uolo, sed feriēdi referiendiq; studio in mediū collata. Certemus enī mutuis li cet sententijs, opinor qui cauet Hirundinem infidum, leuem ac ingratum conuictorem, non quemuis pro tempore occur- santem, mensę tecti et reliqui domestici commodi gratia sub- repentem familiari consuetudine dignabitur. Hęc cum dixis sem, sat mihi uerborum uidebar fecisse. Nam et reliqua pene symbola, moralibus argumentis expedieram audacius. Inter-

pellat Philinus. Ollæ uestigio turbando significari ne quam pristinæ irę indicē notā in animis nostris relinquamus. quin cum efferbuit, oīa continuo pacanda abolendaq; iniurię monumenta, Iam in confundendis stratis nihil esse secreti quibusdam uidebatur, sed pudorem tamen & thalami reuerentiam indicari disserebatur. Ab amico non auferendum onus. Quid aliud: q̃ adiutare laborantem, nihil otio, nihil inertię dandum. Leucius interim cum hęc disceptantur, neq; commendans, neq; reprehendens quidquam agit. silentium.

LYSIDIS EPISTOLA AD HIPPARchum à Chaspare Churrero è gręco sermone in latinum traducta ~~Melanchthone præceptore~~.

Lysis Hipparcho.

POstea q̃ Pythagoras hominum fato defunctus est, nequaq̃ in animū induxi meū fore, ut familiaria scholę nostrę contubernia dissiparentur. Quādo uero prętor spem simul ac naufragi eiecti alicubi in deserto mari mercæ alius alio forte fortuna traducti, dispersi sumus, sanctū fuerit meminisse illius me rationes pias prorsum ac diuinas. Neq; uero quo cōmunia faciā splendida sapientię bona, his qui ne q; somnio defecati sunt animos. Non enim fas est cuiq; porrigere obuio, quę tanto studio certatim bonis parta sunt. Vt neq; prophanis sacra Eleusiniorum silentia aperiuntur, ęque iniqui ac impij utriq; sunt, qui hęc cōmisere. Primū uero deputare lubet, quantum dimensi temporis degimus, in detergēdis maculis, quę pectoribus nostris inoleuerant. Dum quinq; exacti sunt anni habiles disertationum ipsius facti sumus. Vt enim tinctores ante solent pur

imbibant, & qui non fuale dispereat. Ita uir diuinus instru xit philosophię initiatos, ne ullius eum sperata fallerent bona, Neq; enim adulterinas uenditabat rationes, neq; laqos, quibus plęriq; Sophistarũ iuuentutem innectunt, nihil frugi causari solita, sed diuinarum humanarumq; rerũ scientiã pręse ferebat. At plęriq; cũ habitũ quendã & fucum doctrinarũ Pythagorę referãt, admirãda quędã pollicent, ibuentes neq; decore, neq; ut conuenit adulescentiã. Ideoq; duros ac impudentes auditores faciũt turbidis moribus ac audaculis contẽplationes liberales miscẽtes. Vt enim si quis in puteũ profundũ cœni plenum liquidas ac puras undas immiserit, id solũ effecit, ut & turbaretur cœnum, & aqua dispereat: ita illorũ est ratio, tales talia docent. Sunt enim circũ precordia spelęa alta quidem, & frequentia eorum qui non sunt auspicato initiati. Ea oẽm cultũ, & quidquid humanitatis ac rationis capax est, obumbrant. Irruperũt in hosce saltus, oĩs generis uitia, depascendi ac uastandi caussa, ne quid forte disciplinarũ ac honestatis insideat, Nominauero matres uitiorũ, Incontinentiã & cupiditatẽ, utriq; multa soboles. Ex incontinentia propagata, Incęstus, Ebrietas, Stupra, Libidines pręter naturam, Ira, Furores ad occidionem usq; ad crucem adigẽtes. Iam enim plęrosq; libido adeo uęsana conscelerauit, ut neq; matribus neq; filiabus abstinuerint, uiolatisq; legibus coegerit patriam, parentes, principes eiectos imperijs, tanquam mancipia in extremam perniciem distrahere. Cupiditati hęc proles est, rapinę, parricidia, sacrilegia, ueneficia, & quęcunq; his cognita sunt. Primum itaq; spelęis hisce purgatis, tales oportet affectus igni ferroq; excidamus, omniq; paratu bellico erepturi clade mentes natura liberas. Tum inseri quiddã frugis melioris debet. Hęc tu heus Hipparche,

magno studio quondam didicisti, neque custodisti tamen. O præclare, posteaquam Siculi tibi luxus degustati sunt, quibus deuinci temere non debebas. Iam multi quoque aiunt passim te secreta sapientię uulgo prodere, id quod citra Pythagorę instituta facias, qui legatis testamēto Damę filię cōmentarijs suis cauit, ne cui extra familiā traderentur. quos cum illa multo precio uendere posset, noluit. Paupertatem et patris extremā uoluntatem auro rata preciosiora. Feruntque morientem Damam Vitaliæ filię idem mandasse. Certant mulier cum nobiscum. Nos uiri haud ingenue ipsius magistri mandata colimus, sacramenti nostri transgressores. Gratum mihi fuerit, si te emendaris, sin aliter, uiues quidem nobis.

ANASTASIVS Q. BONIS Iuuenibus. Bene agere.

QVod in gręcis latine reddendis operam impendimus, qui nescio quo genio ad literarum studia semper sumus acti, neminem, qui modo non iniqui sit animi reprehensurum arbitror. Sed quod nostrā etiā stultitiā uulgo perdocemus, dum edimus quē primū fœtum intra nostros parietes peperimus informem & horridū, uehementer periculū esse uideo, ne crimini futurū sit obnoxiū. Cur enim non retinui? Cur emisi? At qui ita cogitabunt, sicut ipsi nos, ijs responsum idem uolumus, Esse miserum opus & nimiū humile, nec unquā attolli, quod autoris tantum iudicio stet, ac non etiam censoribus multo diuersis, subijciatur. E quibus boni non certe improbabunt factū, cuius conatus pulcher est & laudabilis, sed notabunt quędam, hęc cognita proderunt. Venia dabitur, si quid parum successit, Malos nihil moror. Ego uero non aliā rem exi-

stimo magis adulescentū ingenia posse excitare, & alere eruditionē, q̄ stylū: ille uero uertendis alienis rectiss. exercetur, ubi & intra præfinitos terminos consistere, & non pro suo arbitrio fluctuare, sed uelut in autoris quem propositū habet uestigijs manentem sequi oportet, quibus dum inhæret, sępe dubitat multa quęrit diligenter, dispicit omnia, nonnunq̄ desperat, mox recępto animo pergit facere quod instituit, q̄ omnia mirifice mentem acuunt, & artem iuuant, quā nimis sero nunc ferè attingimus: ut nisi certa ratione gubernetur, & oībus uiribus urgeatur, frustra sit laboratum. Porro hūc sermonē ex oībus Luciani scriptis delegimus, ut optimum & eruditiss. artificio non mediocri conscriptum: in quo tametsi unus presertim locus haud dubie deprauatus, nam & spectatę antiquitatis exemplar consuluimus, aīaduersus à nobis est, qui ab incępto possit deterrere, tamen secuti animi nostri coniecturam, maluimus qualitercunq; reddere, q̄ hoc offensi penitus desistere. Locum hoc signo adnotatū inuenies * nostrum studiū hac in re primū boni, boni consulite. Valete.

LVCIANI SAMOSATENSIS ADuersus indoctū librorū lōga supellectile tumentē, Sermo.

AT crede mihi, qđ tu putas, haud ex eo consequere quod agis. Persuasum enim cum habeas futurum, ut si omni studio optimos undiq; libros coemeris, ipse quoq; inter doctos ac eruditos ponaris: Plane tibi diuersum accidit, atq; hoc demum argumento, tua inscitia & inertia uulgo proditur. Tametsi profecto optimos codices minime comparas, sed ut quisq; à bibliopola laudatus est fidem habes, ac prorsus q̄ hęc de libris mentiunt

Exordium

Correctio.

prędã te faciunt, istisq; codicum cauponibus pulchre parатus es thesaurus. Nã quo pacto tu queas dinoscere ueteres ac eximios, aut futiles & putidos? nisi inde conijcias φ arrosi sint ac mutili, inq; his dijudicãdis blattis tineisφ utaris ęsti matoribus, qui enim credam liquido ac certo hęc te posse pui dere? Et ut dem tibi hanc cognitionem perspectam, ac tenere quęcunφ Callinus pulcherrime, aut ille laudatus Atticus omni cura absoluta descripserunt, quid hinc tibi commodi redit hominũ ineptissime? qui neφ scriptorum speciem consyderas neφ profecto magis uti scis quã cęcus frui pueri uenustiss. facie. Ac tu apertis quidem oculis, & me ad tędiũ usφ libris incumbis, & non nulla ualde festinata lectione percurris, ut sępe lumina os anteuortant, sed hoc non etiam satis est, nisi noris uirtutẽ quoφ totius et uitia orationis, sensumφ scriptorum intelligas, et quę structura sit uerborum, & quã ad certam quandam minimeφ fallacem amussim cuncta autor exegerit mox cernas, ambigua syncera parum ac concinna.

Quid mihi respondebis, Num hęc nosse te, cum nunquam didiceris? An uero sicut ille quondam pastor, aureũ ramũ à Musis, tu quoφ accepisti? Sed Helicona certe, ubi Musas habitare aiunt, nõ ita es à puero instructus, ut audieris opinor unquam nominari, & meminisse Musarum tibi religio esto. Nam cum pastore sanè, quãq̃ aspero et multo sole deformato nõ piguit has congredi, at qualis tu es. quęso uero te per Libanitiden, concede hoc mihi ut quędam tuorum facinorum praetermittam, talis inquam, ne aspectum quidem. sat scio, ferrẽt, ac potius myrto uel malua cęsum sua sede eijcerent, ne Olmeum aut Caballi fontem, quibus gregibus sanè horũφ magistris sitim sedare permissum erat, polluat.

Non credo te esse tam impudentem tametsi in huiusmodi nimis q̃ es fortis, ut ausis affirmare bonis literis te fuisse im

Cõfirmatio dicti.

Permissio.

A contrario accommodat similitudinẽ Lectio utilis

Trastat collationem

Redit ad ar-

butũ, aut studuisse unquã, ut uere probatos codices tibi faceres familiares, uel quod hic tibi præceptor extiterit aut ad illũ discendi gratia te contuleris. Et nunc oĩa illa uno hoc te cõ secuturũ spes est, si ingentem librorũ acervum congesseris. Proinde si hoc es aĩo, age conquire quicquid Demosthenes ille orator ẽt sua manu scripsit. Deinde Thucydidis historiã, quę octies huius oratoris industria extat descripta: iá ut tot libri sunt, quot Athenis in Italiam aduexit Sylla, ut sup his dormias, affixos tibi ubiq; circunferas, num ideo eruditior es futurus? Sicut enim adagio fertur, Simia est simia, etiamsi aureũ cultũ gestet. Et librum quidem semper in manu portas, legisq; semper aliquid, quorum tamen nihil peritius ĩtelligis, sed Asinus micans auribus lyram auscultas.

Quod si librorũ copia doctũ redderet eũ qui cõparasset, preciosa profecto res erat, & uobis tantũ diuitibus propria, si quidem ueluti in foro pauperes nos superãtibus daretur mercari, immo cũ ipsis Bibliopolis, quibus librorum tanta copia est, qui distrahunt doctrina & eruditione quis certet? quos tamẽ, si rẽ spectes inuenies haud multo te bonis artibus pręstare, nẽpe sermone rustico utũtur, mente nihil ualẽt, quales merito sunt, q inhonesti et turpis cõtẽplatiõe nunq̃ sunt uersati, et tu unũ mõ aut alterũ codicem redis mercatus, isti diu noctuq; in manibus uoluũt: qd ergo cõmodi hic expectas? aut cur non ipsę cellulę quoq; librarię doctę tibi uidẽtur, quę tot ueterum autorum scripta complectuntur.

Age uero, si nõ est molestũ paulũ qddã respõde, aut qa infantior es quã ut possis, saltẽ annue, uel abnue ea q̃ sum rogaturus. Queso te si qs tibia canẽdi artis ignarus prorsus, forte sit nactus Timothei tibias, aut q̃s Ismẽias septẽ talẽtis emit Corinthi, an ne arte ĩflãmabit? uel nullus usus huic rei erit q̃si

gumentum.

Ab absurdo

Inductio προσομιλητική Platõicæ proposito

loca pletanda ora tioni ac commo datis.

te uti nequit? Recte sane abnuisti: Nam neque quibus Marsya et Olympus cecinerunt, hoc efficiant, ut concinnum quiddam inspirat qui nunquam didicerit. Verum siquis Herculis arcus habeat, cum Philoctetes non sit qui solus tendere potuit et quod collineasset figere, quis tibi uidebitur? Num qui facinus edat dignum sagittandi perito? Negas? Ratem gubernare ignorans, et qui nunquam equum conscendit: ille si pulcherrimam et aduersus uentorum procellarumque impetus munitissimam sit nauem sortitus, hic uero Centauro satum, aut generosissimę notę equum

κοπροφόρον.

utrunque derisum iri opinor, quod neuter suis bonis uti possit: Annuis? Obsecro uero hoc etiam concede si quis, uelut tu es, indoctus, infinitos sibi libros acquirere laboret, censen aliud hoc suo facto quam risus et iocos eruditis facturum? Quid cessas annuere? Nam argumentum clarum est, quisque hoc ita fieri cernunt, uulgatum illud haud dubie inclamant, quid cani cum balneo?

Narratiuncula seu διήγημα et pro re nata artificiosis comparationes.

Fuit non ita multo ante in Asia uir opulentus, cui calamitoso casu, cum per niuem iter faceret, putrefactus è frigore ustulis uterque pes deperierat: ille tam miserabilem fortunam expertus, infœlicitatem solari cupiens, ligneos pedes truncas accommodabat, ac calceis indutis, undique seruis innixus incedere gaudebat. Vbi hoc insuper deridiculum comminiscebatur, crepidas pulcherrimas et nouas semper cura erat summa mercari, ut ita calceis speciosiss. ligna sua, nempe pedes, essent conspicua. Nunquid uero his adsimilia facis tu quoque? qui cum clauda mente sis, ac ficulneis sensibus, emis auratos soccos, quibus uix aliquis pedes integer recte possit ingredi.

Et quoniam inter alios tuos codices, Homeri poesin sępe numero repositam est cernere. accepto aliquis libro, legat tibi secundum Iliados, quorum caue aliquid perpendas, nam nihil ad te, pręter quam qui isthic depictus est, uehementer absur-

dus

dus homo, mutilo ac portentoso corpore, qui isthic concionatur, Thersites est. Ille inquã huiusmodi, si adeptus sit Achillis arma, putas ne propterea fortem iuxta & decentem futurum, qui & fluuium transiliat, & Alueum turbet trucidatorum Phrygum cruore, Occidat post Lycaona & Asteropęũ, Hectorem, cum ne Melię quidem pondus humeris sustinere queat. Negabis opinor, ac potius dices, dum post clypeũ claudicaret, mox humi procumberet, impar armorũ oneri, siquãdo sublato capite è galea prospectaret suos istos intortos oculos, deinde loricę subiecto gibbo uelut tuberes, & ocrearum dum in terra repit tractu: hęc inquam dices risum omnibus motura, & ipsum dehonestaturum primum panoplię opificem, deinde etiam dominũ. Tu uero nunquid animaduertis prorsus idem tibi accidere, dum librũ manu tenens progrederis, cuius aluta purpurea, bullulę aureę sunt, at tu barbara uoce legis, deformans & euertens scriptoris dignitatẽ. Hęc cum facere te uident, non solum eruditi ridere solẽt, sed tui ẽt assentatores, quorum consuetudine unice oblectaris, auersi se intuentes à cachinno minime abstinent. Age uero, narrabo tibi quod Pythijs gestum memoratur. Tarentinũ quendã Euangelum apud Tarentinos non obscuro loco natum, nec incelebrẽ, inuasit cupido uincendi Pythia, ubi quę nudi certamina ineunt, non posse fieri, ut superior euaderet, quippe qui neq robore nec pedum uelocitate esset prędius, facile cogitauit. Verum cythara & carmine omnibus, premia prę‑repturũ esse, persuaserant pestes istę, quas apud se fouebat, laudantes & adplaudentes ad exilijs. quenq cantus strepitum. Itaq uenit Delphos ueste auro insigni, & corona aureis lauri folijs plexa, splendens, hęc uero ẽt smaragdis lauri fructui ęqualibus uariegata erat. At cythara uisu mirabile, appa

Amp‑ ficatio

ratu diues ex purissimo auro fabricata, annulis & gemmis passim ornata, suisq; locis, Musarũ, Apollinis et Orphei imaginibus sculpta, spectatores suspensos animis tenebat. Iã autem uenerat dies quo in Theatrũ erat descendendũ, conueniũt tres certaturi, obtigitq; sors Euangelo, ut secundo loco caneret, procedit ille post Thespin Thebanũ, qui nõ male suas partes egerat, auro, smaragdis, beryllis, hyacinthis totus collucens, ipsa purpura, quę auro contexta uisebatur, cõmendabat hũc cultũ mirifice, quibus cum iam stupentes reddidisset, ac noua quadã & incredibili spe replesset spectatores, cum omnino iam & cytharam pulsare & adcinere esset necesse, personat agreste quiddã, inersq; & incompositũ; simul dũ immodice cytharã increpat, rũpit tres fides, cantus autẽ plane ineptus erat, & solutus, ita ut ab omnibus qui aderant rideretur: sed ludorũ pręfecti; offensi hominis temeritate, loris cęsum è theatro proiecerũt. Hic uero iucundissimũ erat spectaculũ, aureus ille Euãgelus, cum per mediã scenã traheretur, ab his qui uerbera infligebant, lachrymans, crura plagis cruentus, humi interim colligens delapsos, dum una uapulat cythara annulos. Exiguo autẽ temporis spacio interposito, prodit Eumelus; quidã Eleus, peruetustã cytharam afferens. cuius lignei erant clauuli, ipse uestem indutus uix una cum serto decem denariorũ precij. At ille & bellũ edebat carmen, & rite sicut ars poscebat, chordas feriens modulabatur, itaq; & uictor abibat, preconis uoce proclamatus, Ridẽs interim Euangelũ, qui ne quicquã cythara ac annulis istis sese ostentasset. Et aiunt sic fuisse allocutũ: Aurea lauro redimitus es Euãgele, et quid mi? opibus .n. uales: me uero qa pauper sum. Delphicã oportet esse cõtentũ: uerũtamen hoc cõmodi tuus tibi ornatus peperit, quod cum neminem tui misereat, oderint

omnes istas tam in epte superfluas delitias. Mirum uero ni pulchre tibi cum hoc Euangelo conuenit quatenus ne tu quidem spectatorum cachinnos quicquam moraris.

Arbitror autem non intempestiuum esse, ut Lesbiã quandam fabulam tibi narrem, Cum Orphea Thressæ mulieres dilaniassent ferunt, caput uatis una cum lyra, cum primum hebrus excepisset, in Nigrum pontum eiectum, atq; ita simul natasse, caput ac lyram, illo lugubre quiddam in Orphei necem canente, hac uentis chordas percellentibus aptos materię faciente modos, donec ad Lesbum adpellerentur, ubi incolæ fluctibus utrisq; ereptis, caput sepulchro condiderunt, lyram autem suspenderunt in templo Apollinis, in quo cum bene longum tempus fuisset adseruata, Multis annis post Neãthus Pittaci tyranni filius, cũ quę de lyra narrabantur audisset q͛d bestias hac demulsisset Orpheus, plantas & saxa mouisset, quodq; ipso iam cæso tamen per undas lata nemine modulante, resonasset, capitur incredibili amore habendi hanc, quare ingenti pecuniarum ui corrupto sacerdoti persuadet, Orphei lyram, alia supposita, sibi det, qua accepta parum tutum ratus interdiu hac in urbe ludere: nocte, sinu occultam efferens solus in suburbe pergit. quo ubi uenit, lyram pulsare incipit, ac chordas perturbat, sperans stolidus & imperitus artium iuuenis fore, ut diuinum aliquod carmen percusse fides redderent, quo cunctos permoueret, & animi affectus quo uellet, traheret ut hoc nomine beatus haberet, Orphei Musices hęres. Dum hęc agit, uicini canes strepitu, qui eo loco erant plurimi exciti, coeunt, ac infœlicem istum cytharœdum decerpunt, quod ipsum solum cum Orpheo commune habuit, postquam canes adduxerat. Manifestiss. igitur

ostensum hoc exemplo est, non lyram esse quę homines et feras lenierit, sed artem ac carmen, quę prę alijs excellentia mater, Orpheo contulerat, lyra nihil à quibusuis barbitis differente. quorsum uero attinet Orphea tibi aut Neanthum proponere: cum nostra ętate uixerit, & ni fallor adhuc superstes est, qui Epicteti Stoici lychnum fictilem trecentis denarijs mercatus est sperans futurum scilicet, ut si noctu ad istā lucernam legisset, mox Epicteti sapientiam somniaret, & similis efficeretur admirando seni. Sed nuperrime alius quispiam Prothei Cynici baculum quem cum in flammam insiluit reliquerat, emit talento, custoditq; etiamnum inter reconditas ac charissimas opes habet, ostentatq; non secus ac Tegeatę Apri calidonij tergus, & Thebani ossa Geryonis, & Mēphitę Isidis capillum. At ille tanti boni possessor, ipsum se, quoq; stultitia et turpitudine superauit. Viden q̄ pessime res tuę habeant? & q̄ Caluarię fuste opus sit. ego uero etiam Dionysium quondam scripsisse Tragœdiam accipio, sed qua nihil fuerit unq̄ minus elegans, aut magis ridiculum, quas cū dedisset legendas Philoxeno, nec ille adulari posset, sed salibus incesseret scriptorem, sępenumero in lapidicinas coniectus est. Cum autem Dionysius contemni sese, & uulgo fabulam esse comperisset, nullę operę ac impensę pepercit, ut Aeschyli pugillaribus, quibus sua poemata describere fuerat solitus, poteretur: quibus acquisitis, iam se plenum ex Aeschyli cęris numine, & plane attonitum putabat. Et tamen in his ipsis longe absurdiora scribebat, quale est Doricum illud, ἧκεν ἡ Διονυσίου γυνή. Et iterū, οἴμοι γυναῖκα χρησίμην ἀπώλεσα, nam hoc quoq; inde sumptū est. Et hoc ἀυτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν.

Hoc

le dilig ē
r cōsyde
quātam
rimatem

Hoc tamen postremum non parum rectius in te quadret quã Dionysium, & propterea ceras inaurare debebas. Nam quę obsecro quid consequendi spes est? ꝙ libros voluis, reuo= luis, colligis, quod non decet resecas, croco pingis, & pollis ce dro, amicis pellibus, bullulas infigis sic agis tanquam fructũ inde percepturus: & factus es scilicet vehementer ex hoc mer catu melior, quippe qui sic loqueris, ac potius q piscibus ma= gis es mutus: uitam autem qualem uiuas, dictu fœdũ est: hoc certe aiunt, tuam illam obscenitatem extreme odisse uniuer= sos: quod si librorũ hęc esset culpa, fugiendum ab eis erat quã maxime procul. Duo autem cum sint quę à ueteribus scri ptoribus petas, dicendi uirtutem, & honeste uiuendi ratiões, dum quę bona sunt imitaris, quę mala deuitas: quando neu= trũ spectatus es, quid aliud comparasse dicemus te quã Ibidẽ muribus et tineis habitaculũ ac seruis, si negligentiores in co diabus curandis forte fuerint uerbera. Sed quod sum nunc dicturus, haud scio an tibi summam ignominiã adferat, si qs forte fortuna te conspicatus, sicut fere cerni amas, habẽtem in manu librum, roget, author quis sit, orator, historicus, poeta? Ac tu ex inscriptione doctus, apte dicas quęsitum: postea, ita ut fit dum sermo familiaris progreditur sæpe longius, ille laudet aliquid aut accuset scriptorum; tu uero non habeas qđ respondeas, nonne optes tum ut tibi tellus dehiscat, qui in tui perniciem uelut Bellerophontes codicem attuleris.

Demetrius Cynicus cum Corinthi conspexisset inerudi tum quendã pulcherr. librũ legentem, opinor in Bacchis Eu ripidis locum, ubi nuncius Penthei fatum & factum Aga= ues exponit, arreptum codicem lacerauit, Satius est, inquiẽs, semel à me q̃ à te toties dilaniari Penthea. Χρεῖα Mista

Scire autem peruelim, ꝙ ego nulla quantum uis diligenti Interrogatio.

animi cogitatione assequi possum, cuius rei gratia tanto studio in hoc foro sis uersatus. Nam fructus aut usus caussa nemo putare queat, qui te uel mediocriter nouit, Non certe magis q̃ si caluus pectinem emat, aut speculum cęcus, aut tibicinem conducat surdus, scortumue spado uel nauem qui nullũ mare propinquum habet, aut gubernator aratrum. Sed fortassis hac re tuas opes iactas, dum palam suas etiam in res tibi nihil uales, ex immensis diuitijs esse quod insummas. At enim, quantum ego, qui & ipse Syrus sum, exploratum habeo, nisi te locupletis istius hominis testamento, dolo fraudeq; mala subingessisses, iam diu uęnum libris datis, famẽ tibi fuisset pereundum. At fieri potest, ut nunc deinceps ideo libros undiq; accumules, quo fidem facias assentatoribus tuis, quos audis quotidie prędicantem te non modo bellũ & amabilem Rhetorem, sed sapientem quoq; & historicum, qui secundum non inueniat. Fertur quoq; orationes quasdam te in conuiuijs ex more recitare, ac illas terrestrium ranarum instar, sitibundas exclamare, nec potare nisi prius clamore differantur. Nam nescio quo pacto non est difficile naso te suspendere qui omnia credis, sicut illud nuper te uni cuipiam regi adsimilem, quemadmodum Pseudalexander quondam ac Pseudophilippus, & superioribus annis Pseudonero & alij hoc modo mentiti sunt. Nec mirum est hominem insulsum te ac stolidum sic affici, & lectica uehi, aut illum regis incessum, uultũ, habitum deniq; totum studere imitari gaudereq; si quis te huic conferat, quid hoc mirum inquam, quando etiam Pyrrhus Epirota alioqui uir clarissimus dicatur, ita ab assentatoribus fuisse corruptus, ut se Alexandro illi similem arbitraretur, quanquam istorum sacrilegorum opus palam erat omnibus. Nam Pyrrhi quoq; imagines iam circun-

ἀπόφασις.

ferebantur, tamen ille in hoc erat, expressam Alexandri figuram. Hactenus equidem contumelia affeci Pyrrhū quod te cum comparaui uerum quod super pulchre inter nos conuenit. Nam pyrrhus postquam ita esse in animum induxerat, nemo erat omnium qui diuersum uel sentire uel loqui uellet, donec uetula quędam eius Larissę hospita, id quod res erat prolocuta, uesaniā hominis repressit. Ille enim cum Philippi, Perdiccę, Alexandri, Cassandri, aliorumq; regum Macedonum imagines protulisset, rogauit, cui nam ex istis simillimus uideretur, omnino pro certo habens fore ut Alexandro pronunciaret, At illa diu cunctata, tandē Batrachioni inquit, erat enim quidam in urbe cocus Batrachio nomine, Pyrrho perquam similis, tu quoq; quem ex histrionicis cynędis referas, tacere malo, sed quod uniuersi dicant ingenti te correptū insania, qui illam imaginem tibi conuenire putes, hoc uero sat scio. Itaq; nihil est noui, si, tam nullius artis pictor cum sis, uiris eruditiss. ęquari te postulas, ijs fidem habens qui hoc nomine te laudibus efferunt. ἀφορισμός.

Quorsum uero has nugas, cum causa sit in promptu istius tui librorum coaceruandorum studij, tametsi, qui meus est stupor nunc demum animaduerti. Nam quod opinare, prudenter hoc inuenisti, ideoq; in magnam spem erectus es, regem intelligentem uirum & in primis amantem doctorum, postquam didicerit quā des operam libros plurimos habere, in nulla planè re tibi defuturum. Verum heus molliculę, an tu putas tantum Mandragorę oculis regijs offusum, ut cum hæc audiat, non etiam habeat compertum, qualis tuę diurnę uitę ratio, quę conuiuia, cuiusmodi noctes, quales & quibus cum consuetudinem agas, an nescis multos regibus esse & oculos & aures, & que tu facis adeo latent

neminem, ut & surdis & cęcis sint cognita. Atq; utinam loquentem possemus audire, ac lauantem daretur contueri, quáquã quia aliter putas, non attinet te in publico uestibus exutis cerni, nec enim serui tui tacebunt, quę noctu indigna relatu facinora edis. Responde igitur mihi hoc quoq;, si Bassus ille noster Sophista, aut Battalus tibicen, aut iste Sybarita Cynędus Hemitheon, qui nobis pręclaras illas leges condidit, quemadmodũ omni spurcaa eigenere furere oporteat, si istorum inquam unus aliquis, leonina pelle accũdatus, clauam manu tenens prodambulet. quid? Heraclẽ ne existimas quibus obuiam factus sit habituros, non equidem opinor, ut maxime ollis forte cęcutiant, sexcenta enim sunt quę repugnãt, incessus, obtutus, uox, obliqua ceruix, uarius fucus, unguenta quibus uos soletis excolere, & omnino sicut in prouerbio est: Citius septem elephantas sub alis absconderis, quã unum Cynędum. Iam cum leonina pellis hunc non occulat, tun speras libello contectus posse latere? Sed fieri nequid, qn te prodãt alia illa uestri indicia. In summa ignorare te ui-

biurga- deo, q̃ bonam & splendidam famam non ab illis librorũ in-
o seria. stitoribus, sed a se ipso & quotidianę uitę modo petere conueniat. An uero confidis aduocatos ac testes probitatis futuros tibi atticum & Callinum librarios? caue putes. sed sę uos homines perdituros te, si Dij sinant ac ad extremam paupertatem redacturos, quem nunc tandem modestiorem ac magis cogitantem par erat istorum codicum uni cuipiam ex eruditis copiam facere, simulq; ex ista nuper extructa domo migrare, ijs etiam apud quos mancipia prostant, reddere partẽ saltem multorum debitorum. Etenim his duobus præcipuam collocasti operam, ut libros possideres raros, & adolescentes ualidos & robustos. Proinde consydera, quàm sit res aurea

consilium. Nam meo quidem iudicio rectiss. fuerit, si missa feceris ea quę non magnopere ad te pertinent, ac illum alterum morbũ curaris. Et pro istis munstris (sic tamen ut ne ppe tua emptione res domesticę deficiãt) adhibueris ingenuos aliquos, quibus integrum quidem sit (quando nihil accipiunt) proferre omnia, quę uos inter comessandum designatis. qualia nup Pusio tuus obsceniss. de te mane domo egressus narrabat, etiam signa ostendens sceleris. Ego uero testes facio, quotquot tum aderant, quam indigne tulerim & uix manus continuerim, iratus tu caussa, maxime cum unum atq; alterum adduceret confirmaturos, quę dixerat, qui & ipsi eadẽ multo sermone declamabant, In hos ergo usus reconde argentum, bone uir, ut domi tuto ista perpetrare possis. Nam quis nunc deinceps ab istis quibus te adsuefecisti retrahat? non facile cessat canis corium rodere ubi cepit. At illud alterũ, ne in posterũ libros commerceris facile obtinebimus, Doctus es, sapiens es, quicquid uspiam antiquitatis extat, hoc tibi modo non in summis labris natat, omne orationis artificiũ, uirtutem, uitia, dictionũ atticarum usum, ac plane scitus es, & in omni scientiarũ genere primus, ob librorum aceruũ. Nã qd uetat etiam me tibi ciconiam pinsere quando decipi te iuuat. Ironia

Ego uero perquam uelim fieri abs te certior, cum tot tibi libri sint, quibus potiss. te occupes. Platonis, Antisthenis, Antilochi, Hipponactis? Aut spretis his magis Rhetores in manibus habes, Æschini orationem aduersus Timarchum? An uero iam ante hęc omnia tibi sunt clara, nec est cur legas. At in Aristophane & Eupolide totus es? Scin Baptas? percurristi totam fabulam. Num alicubi tetigit te poeta, nunc ubi puduit te agniti flagitij? Interrogatio distributa.

Hic autem iterum miramur, quali animo, qualibus mani

bus libros uerses? Quando? num interdiu, quod nemo unq̃ facere te uidit. At noctu? An cum istis alijs es intentus? aut ante uestra exercitia, quę nisi cum caligine terra est obducta aggredi non ausis. Missos uero fac libros, ac tuam rem potius cura, quanq̃ hoc quoq; indignum est, debuerasq; Euripidis Phędrã saltem uereri, q̃ mulieribus succenset ac inquit.

Nullas tenebras expauescunt conscias,
Neue ędium uocem latebrę edant, timent.

Quod si omnino decreuisti tuo morbo blandiri, age abi mercare libros, domi conclude, fruere partorum bonorum gloria hac scilicet contentus caue uero tangas aut lecturus aliquid aperias: ne sit in ore tibi ueterum aliqua oratio aut poema nihil male de te meritorum.

Non sum nescius hęc frustra à me disputari, & nugas esse meras, iuxta Adagionẽ: Aethiopem lauare. Nã tu non cessabis libros coemere, cum ab eruditiss. quibusq; rideberis, quibus non hoc agitur ut libri niteant, & magnifici sint, sed ut utiles uerbis & sententijs uerborum.

An uero speras ista opinione tuam inscitiam posse occulere, & codicum multitudine permouere uulgus? Nescis autem q; imperitiss. Medici idem faciunt, qui eburneis uirgulis, & uasculis quibus sanguinem eliciunt argenteis, scapellisq; auro insignibus superbiunt, cum uero horum iam usus est, ne in manus quidẽ recte capere sciunt, alius autem quispiam in medium prolato phlecotomo rubigine quidem ambesum, sed bene acutum ęgrum morbo leuat. Sed ut tuarum rerum magis iocosam faciam comparationem, ad hos mihi tonsores aspice, & inuenies eos qui artifices optimi sint, nouaculum tantum ac forpicem & mediocre speculum habere. Sed ignari artis etiamsi infinita specula & forpices

proponent, non tamen latere omnes quod nihil calleant tonsoriæ. Acciditque hoc risu dignissimum. quod plerique apud uianos tondent, coram ipsorum speculis comunt. Et tu alij quidem cui usus esset, commodare librum certe posses, ipsi uti non potes, tametsi nulli commodasti unquam, facisque hoc tantum quod canis in presepi, qui cum hordeo non uescatur, equum tamen uolentem pasci haud sinit.

Claudit suo more celebri & scito dicto sicut uere oés serr... num suorū particulas solet.

FINIS.

Impressum Venetijs per Ioannem Antonium & Fratres de Sabbio. Sumptibus uero Laurentij Lorij Portusiensis. Anno domini M.D.XXVII. mense nouemb.



